22

DEO BENEDICENTE!

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

ÆGRUM EXHIBENS

COLICA SATURNINA LABORANTEM,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GUILIELMO HENRICO,

DUCE SAXONIAE, IULIACI, CLIVIAE, MONTIUM, ANGARIAE ET WESTPHALIAE, & reliqua,

SUB MODERAMINE

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

HEREDITARII in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORIS, COMITIS PALATINI CÆSAREI, SERENISSIMORUM SAXONIÆ DUCUM CONSILIARII ET ARCHIATRI, THEORETICES PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII,

Patroni, Praeceptoris ac Promotoris sui, summo obseruantiæ cultu ætatem prosequendi,

PRO GRADU

SUMMOS IN ARTE MEDICA AC PRIVILEGIA DOCTORALIA, MORE MAIORUM, RITE CAPESSENDI

Publicæ eruditorum disquisitioni

submissa

ab A. & R.

PHILIPPO WERNERO STOCKHAUSEN,


GOSLARIENSI SAXONE.

Ad diem XII. Nouemb. M DCC XII.

IN AUDITORIO MAIORI,

Horis ante & post meridiem consuetis.

IENÆ, Literis KREBSIANIS.



I. N. I.

PRÆFAMEN.



Lantas quasdam dari, quæ radicem ſortiuntur amaram, quarum fructus dulces exiſtunt, egregia Philophorum botanicorum Principis eſt ſententia *l. 1. Hiſtor. Plant. c. 11.*

Quod in vegetabilibus per naturam euenit, idem & moraliter verum eſt, non tantummodo de laboribus omnibus, neque de illos obeuntibus, verum etiam de durioribus, & qui exiguum vel nullum ſibi inde fœnerant fructum, ſed aliis potius lucrantur.

Inter illos grauiſſimi in vita humana ſine dubio ſunt, quos in humida & ſicca via ſuſtinent, vt onus ſummum, operarii, remiges in mari, & metallici in terra dies noctesque inſudantes operis ſuis.

Ne de illis dicamus, & hi quidem diſtincti ſunt: obſeruatum enim dudum eſt, non idem eſſe, in metallum damnari, & in opus metalli; vtrique tamen experiuntur ſuos manes, etiam, qui ſponte ſua huic ſe deuouent, mitius habere viſi.

Non possumus, quin insignissimum locum, saltim verbo, laudemus, *Diodori Siculi l. 3. rer. antiquar. c. 2. p. m. 73.* quod totum agit de hac hominum calamitate summa, in auro effodiendo ac depurando, vt nihil illa sit grauius, hoc nihil gratius & amœnius.

Allubescit, in Dissertationis Inauguralis vicem, seligere metallurgi ægrotantis certum exemplum, morbi omnino grauissimi, quandoque etiam plane funesti. Hoc vt gratiose secundet diuinum numen, deuote apprecamur!

Historia.

VIr quidam, qui inde statim a puero rei metallicæ fuerat mancipatus, annos circiter natus quatuor & triginta, cibis, vt id genus hominum assolet, durioribus per vitam sustentatus, ex metallurgia sua noxios, eosque varios, morborum insultus atque cruciatus sibi contraxerat, quibus tamen, Deo auxiliante, die XXVI. Sept. anni proxime elapsi prorsus liberatus est.

Hic metallurgus aliquando circa vesperam, euro tum vehementer flante, atque aera maxime turbante, ex officina metallurgica, quæ ad fluuium Ockeram sita est, vix domum redux factus, statim cœpit post cibum sumtum de grauitate in regione ventri-

culi

culi exorta & anxietate conqueri, quam dolores acutiſſimi in ſcrobiculo cordis, & circa vmbilicum, flatusque comitabantur, aluo per multos dies clauſa. Non multo poſt totum intumebat abdomen tympani inſtar, nullo ſubſequente ſomno, nullaque facta dolorum remiſſione.

Die vero tertio ingraueſcebant ſymptomata iam dicta, accedebat cephalalgia, formicationes artuum, ita quidem, ut dolor hic acutiſſimus hominem in lecto detineri non ſineret. Nam modo in hypocauſti pauimento, modo ſub fornace, perque alia loca anguſtiſſima, huc illuc miſerum in modum ſeſe voluens, nihil quietis inde aut leuaminis accipiebat. Quarto die iungebatur tuſſis, ſitis, vomitus, adeo, vt neque ſolida neque liquida retinere poſſet alimenta.

Vrina nulla mittebatur, conſpiciebantur pedum manuumque conuulſiones inſignes tonicæ; vmbilicus iam prominebat, iam introrſum, ac ſi nullus vnquam adfuiſſet, contrahebatur. Hæc ſequebantur inſultus epileptici, aluo adhuc pertinaciter clauſa. Quo fiebat, vt vires ſenſibiliter deficerent, ac nemo non iudicaret, maximum vitæ periculum adeſſe. Inter hæc vxor metallurgi, tam miſere laborantis, nec lacrymis nec voci parcens, auxilium medicum indeſinenter implorabat.

Resolutio.

NOn incongruum fuerit, historiæ ipsi affecti ægri, in exemplum aliorum propositi, relationem præmittere aeris & loci, in quo degit, naturæ, quo cognito facilior & melior conceptus de morbo formari poterit. Sane & aer mutat loca, & loca aerem, tam immanente vitio, quam transeunte. Vel solæ ventorum mutationes in praxi medica magnum pondus habent, ad inferendos morbos & auferendos. Vnde recte *diuinus senex l. de flatibus c. 4. t. 9.* aer, *inquit*, maximus est, in omnibus quæ corpori accidunt, & autor & dominus. Quare operæ pretium est, eius potentiam diligentius perspicere.

Non fusius hic repetemus, qui sparsim, experientia nautarum & mercaturæ operantium, in locis maritimis, ab aeris & ventorum commutatione consurgant & notati sint in corpore humano effectus. Quod si vero in mediterraneis locis idem sectemur, non minus id occurrit, & inprimis nemo magis doctrinam hancce, admodum iucundam, cognitam perspectamque habet ac habere debet, quam medicus, qui in Hercynia nostra inferiori metallurgis & consilio & auxilio adest, & adesse studet. Ex aeris enim & ventorum aduersa mutatione suborta metallurgi in morbum incidunt, ita quidem, vt quotiescunque id accidit, vt aer & venti turbulentius commoueantur, inde statim & facile intelligi possit, metallurgis minus fauste accidere, id quod ita euenire ex singulari officinarum metallurgicarum situ existimauerimus.

Res autem vt plenius & melius ob oculos ponatur, præmonendum est, officinas metallurgicas in Hercynia nostra

infe-

inferiori inpræsentiarum tres numero esse exstructas, quarum una non procul a vico Langesheimensi posita: altera non longe abest a pago Astfeldensi; & tertia iuxta Ockeram amnem, vitro splendidiorem ac amœnissimum, natalem locum inuenit, in quibus certe officinis solers rerum naturalium indagator non sine gaudio subterranea satis curiosa, arte ac studio magno in apricum producta, contemplari potis est. Mineræ enim illis in locis fornacum complurium ope & structura multa cum diligentia apparantur, vt nitidissima metalla, v. gr. plumbum, cuprum, argentum, sulphur &c. in lucem hominumque vtilitatem edantur.

Extra hasce officinas, quem locum vulgo vocant den Hütten-Hoff / quamplurimi apparent monticuli ex mineris & ligno artificiose constructi, quos vocant vernacula lingua Germanice die Rostthauffen / vbi ignis beneficio sulphur copiosissimum, quod visu mirabile, exstillat, inde & stillatitium dictum, & in superiori centro quasi seorsim hauritur. Ast fornaces & monticuli, quos diximus, nunquam non fumum emittunt abundantem, ita, vt si aer crassus & tumidus fuerit, fumus ille sæpius vrbem antiquam & Imperialem Goslariam pene ad lapidem pertingat, quin plane quasi obruat. Quod si vero exitus liberior exhalationibus iam recensitis obtingit, vt in auras sine impedimento abire possint, satis belle se habere solent metallurgi, quibus contra ea male est, si venti aduersi, aerque disturbatur.

Inprimis autem Euro flante periculum metallurgis ipsorumque valetudini imminet, teste experientia, optima rerum omnium magistra. Orta enim Euri hac mutatione, qui ventus maxime officinam, quæ ad Okeram sita est, ex planitie terrarum prodiens, spirando transit, & facta quasi repercussione ad propinquos montes Harzycos repellitur,

ex-

exhalationes illas ex mineris profluentes ita deprimit, vt officina tota inde obscuretur, in qua metallurgi operi suo gnaviter incumbunt.

Hac de re suo iam seculo Beatæ memoriæ Auus noster *Samuel Stockhausen*, Med. D. & Physicus Reipublicæ Goslariensis meritissimus, qui & metallurgiæ operariis ex singulari superiorum Clementia præpositus fuerat, tractatum edidit vere aureum *de Lithargyrii fumo noxio morbifico &c.* Germanice von der Hütten-Katze/ quem erudito orbi reliquit. In eo libello, omni laude dignissimo, inter alia *p. 14.* ita dicit: Fumus iste non omni tempore æque frequenter, sed Euro potissimum flante, & sole radiante, fumum scilicet supprimentibus & includentibus, in officinis operarios infestare solet. Hactenus ille.

Et hoc quidem vero verius est, siquidem tam copiosus interdum in hisce officinis colligitur fumus, vt vix hominem illic locorum oculis videas. Quamprimum autem id ita accidit, non multo post metallurgorum coniuges ad medicum, quem serenissima & potentissima Domus Brunsuico-Luneburgensis, vt & chirurgum, ex singulari Clementia constituit, vt ægrotantibus metallurgis in auxilium veniat, satis anxie confugiunt, in hæc verba erumpentes: Min Mann het bie den lesten Winne sau vel Rook inneschloken/ hei het kein open Lieff un stait ôhme sau vor der Bost un Harten.

Præmissis hisce, si historiam ipsam aggrediamur propositam, Affectus, quo æger laborat, est COLICA SATVRNINA. Liceat nobis ita vocare, non recepto adhuc nomine, nostra vero opinione ita vnice dici merito. Enimuero vt primum omnium in praxi clinica postulatum est Hippocraticum: quid patiatur; ita si scapham scapham, ouum

ouum

ouum dicere velimus, vix melius nomen effingere queas.

Enimuero non nouum est, antea innominata, vel minus cognita & recepta, aut etiam melioris notitiæ ergo nomine apto mactare, quæ occurrunt, in libera quoad hoc republica medica. Sic, vt in exemplo saltim maneamus, quid obstat, dum *colicam nephriticam*, vel etiam *colicam scorbuticam*, & seorsim *flatuosam*, ac *biliosam*, recentioribus seculis nominarunt optimo iure medici, quo minus etiam saturninam eandem vocare licuerit? Saturninam scilicet, itidem non ratione subiectorum, sed causæ, itidem hic paulo latius patentis. Adde, quod hoc nomen, licet nouum visum causæ humidæ & siccæ, seu humorosæ & vaporosæ, sit adæquatum & conueniens.

Ipsum sane *colicæ* nomen, *Hippocratis* æuo inauditum, a Tiberii tempore in vsum tractum, cum communi prius ilei nomine veniret, dolorificam notat distensionem abdominis, seu coli, quod, tanquam genus, differentiam specificam sortitur a causa, qua a reliquis discriminatur facile, Saturno nempe, acceptione chimica, quod dicere progredimur.

Adesse hanc in ægro nostro deprehendimus ab ESSENTIALITER INHÆRENTIBVS duobus solennibus, dolore ventris infimi, & constipatione alui contumaci, & sæpe fere inexpugnabili. Demonstrant idem POSTESSENTIALITER CONSEQVENTIA alia, recensita in historia, & explicanda vlterius in ratione symptomatum phænomena. Præcipue vero euincunt idem CAVSÆ specificæ, saturninæ illæ propaginis antegressæ; & si comparentur inter se inuicem alii eiusdem opificii, eodem morbo affecti, maxime SIMILITVDO, cum similium eadem sit ratio, vt subiectorum, ita & prædicatorum.

SVBIECTVM PRINCIPALE laudari poteſt vniuerſa via regia totius corporis, inteſtinorum puta, quoad regionem quidem maxime capacem, inteſtinum colum, celluloſum & vtrinque in abdominis ἐυρυχώρίᾳ ſtabulans. Per mechanicam enim notum eſt, quo amplius ſpatium viarum publicarum intercapedinis occupatur, eo diffundi remoras magis, & tamen reſpectiue tolerabiles has eſſe, quam ſi in angiportu aliquo fiat præcluſio. Omnia vero inteſtina, ſeu reuera, ſeu doctrinæ & vſus ſpecialis gratia, in ſex claſſes dirempta, communi vſui vacant gemino, ſenſus, h. l. tactus, & motus, prouolutioni contentorum, qui vtrique hoc caſu afficiuntur & laborant. SVBIECTVM ADÆQVATVM ſunt reliqua viſcera & partes non vnæ, quæ inde ſuos patiuntur manes, per conſenſum, caput, thorax, pulmo, & neruoſum præcipue genus vniuerſum.

Hæc vt ex artis receptis terminis explicemus, CAVSA PROXIMA & IMMEDIATA merito ſtatui poteſt, communis videlicet omni triſti ſenſationi, ſolutio continui, eaque in fieri, in vellicatione & irritatione fibrarum nruearum radicata.

CAVSÆ MEDIATÆ PROXIMIORIS loco nominanda nobis optime videtur ætheris præcluſa libertas. Vti enim in tota machina corporis, (vt illud huc applicemus) Iouis ſeu ætheris omnia plena ſunt, ſeu ætheris vitalis & animalis impenſi; ita hæc libertas definita ſpecialis impedita commode hic concipi poteſt.

Eſt illa & occurit in corporis noſtri machina, quoad noſtrum cenſum, duplex, externa, & interna; illa ſuffocatiua, qualis in cellis ſubterraneis, a vapore muſti, vel cereuiſiæ quoque, tempore æſtiuo fermentantis, accidit & obſeruata fuit, vel intentata ſaltim; hæc obſtruens, ſaltim generalius,

vel

vel in totum, vel in tantum. Illud occurit metallurgis magis in fodinis metallicis occupatis, ſpeciatim metallicidis dictis, a vapore mercuriali arſenicali, qualis fuerit apoplexia vel ſyncope, præcluſis vitalibus viis; hoc extra illas in ſolo conſtitutis, de quibus hic agimus potiſſimum.

Hoc vt presſius dicamus, omni iure laudari meretur alui, & conſequenter vlterior quoque in tota œconomia corporis, quoad vias, ductus & humores mobiles, conſtipatio, & remora, vnde ſane, tanquam ex foco, cetera cuncta in hiſtoria præcedenti allata promanant.

Accuſantur non iniuria hoc loco copioſiſſimæ ſaturninæ exhalationes, fumo ſaturnino auſtero-mercuriali debitæ. Conſtat enim inter omnes medicos & phyſicos ſatis, non ſolum ineuitabilem & perpetuum aeris eſſe occurſum, illapſum, preſſionem & reciprocationem, ſed etiam aerem omnibus rebus, quæ intrant corpus noſtrum, ſociari & commiſceri. Iam vero ſi metallurgis, aſſiduo labori in officinis intentis, ventus aduerſus, qui aerem condenſat, & ſaturninas inprimis atomos, moleculas, exhalationes libere exire non patitur, ſed potius comprimit, ſuboritur, ſaturninus ille fumus mira dulcedine præditus, qui guſtum pariter atque olfactum mellis quaſi dulcedine afficit, copioſisſimus colligitur, ac vis vnita etiam ſic fortior eſt diſperſa.

Tunc exhalationes & moleculæ ſaturninæ, quæ per inſpirationem & exſpirationem non modo pulmones afficiunt, vt & hi inde ſuos patiantur manes; verum quoque in ore nunquam non miſcentur, aerisque vehiculo in ventriculum, & inteſtina, quæ in ſtatu naturali tubulis & villis productis, patulis apertis, filtri inſtar chylum abſorbent, deglutiuntur. Ibi vero pedem figunt, particulis ſuis auſteris, ponderoſis, conſtringentibus delicatis ducti-

bus, vaſis & glandulis affiguntur, ibique firmiter ſeſe inſinuant, & membranas, ductusque lymphaticos, immane quantum conſtringendo, ſtipant, & plane obſtruunt, ipſamque lympham in qualitate conſiſtentia & motu alterant, quæ labes in vniuerſum corpus diffunditur.

Et quoniam metallurgi interdum per aliquot hebdomadas, quamdiu aer ventusque ipſis inimicus fuerit, eiusmodi fumo noxio craſſoque circumdantur, aliter fieri non poteſt, quin contumax inde alui obſtructio oboriatur. Præ reliquis vero, qui plumbum plumbique ſcorias tractant & excoquunt, ita affici & tentari cognoſcimus, quod quidem ſatis dilucide pluribus laudatus Auus noſter, in tractatu iam ſupra recenſito, de lithargyrii fumo noxio; demonſtrauit.

Teſtantur hinc etiam vno ore omnes medici, eorumque doctiſſimæ obſeruationes hac de re in lucem editæ, ſaturnum maxima cum cautela & minima in doſi interne adhibendum eſſe. Seorſim *Borellus*, vt alios omittamus, *l. 4. Obſeruat. 32.* ita inquit: Amicum habui, qui ſacchari ſaturni nimiam hauſerat quantitatem, inde tanquam paralyticus & fere mortuus factus eſt, tandemque conclamaretur; Rigebant membra eius, & tanquam congelatus & apoplecticus erat, curatus tamen.

Tam contumax ſæpenumero hiſce hominibus alui occluſio eſt, vt plus quam viginti clyſmatum vſu, medicamentis aperientibus internis & balneis ipſis non intermiſſis, quod non ſemel obſeruauimus, vix vita ſæpe ſeruari poſſit. Simile exemplum menſe præterlapſo habuimus in metallurgo *Curd Pabl* dicto, qui quidem aluo per viginti dies contumaciſſime clauſa, & tandem maximo cum ſtudio, imo periculo, aperta, per ſex dies integros excrementa nigerrima,

picis

picis instar naualis, vna cum materia viscida circumducta, caprarum pilis similia exonerauit. Et hic tamen, per Dei gratiam, aura adhuc vitali fruitur saluus & incolumis.

Vel tacentibus nobis hinc emicat, CAVSÆ MEDIATÆ REMOTIORIS locum obtinere aerem ipsum turbatum & crassiorem, quatenus & ipse corpus lædere solet, nedum vehiculum constituens miasmatum laudatorum, qui vel solus, reliquis non tactis, nobis sufficere potest; neque enim in illis luxuriari opus est, cum non tam intrinseco humorum vitio, quam externo hoc morbus enascatur.

Suffecerit, saltim illud addere, in dispositis & debilioribus corporibus id magis accidere, pro qua constitutione viscerum & massæ sanguineæ variat & PROGNOSIS, & ipsius curationis ratio. Quantum vero a ventis aer immutetur, in nostris quoque culinis experimur, toto die, quando deprimitur enim aer in fumariis, nec liberum sortitur exitum, non solum culina, sed tota sæpe domus reliqua fumo repletur & densatur.

Accedit VITÆ GENVS, quod etiam subiectum principale & adæquatum, generale & speciale illustrat. Enimuero metallurgi magis sunt obnoxii partim morbis pulmonum, quos primi generis quasi nominare possumus, quale est asthma montanum, phthisis, peripneumonia &c. partim ventriculi & infimi ventris, quibus tertium quasi addere licet, pro tractandi metalla diuersa ratione. Quamuis enim singuli suos patiantur manes, habent tamen, præter communia quædam, vt inprimis neruosum genus illuc referre optimo iure licet, etiam specificas passiones, seu symptomata & sic signa specialia, quæ merito nos minus, nisi obiter, attingemus, vtpote præsenti ægro saltim præcipue acommodanda.

Operæ pretium videtur, ipſum euoluere *Hippocratem*, & ex eo recenſere hiſtoriam, in exemplum dictorum. Ita enim *l.4. Epidem. c.14. t. 15:* Vir, ait, metallicus hypochondrium dextrum intentum, ſplen magnus, & aluus intenta, anheloſus, decolor. Hinc ad genu ſiniſtrum conuerſio: per totum iudicatus eſt.

Pertinent huc etiam ſeorſim, qui circa plumbum fundendum & tractandum occupantur artifices alii. Sic fuſores typorum, quibus libri imprimuntur, nouimus ſtupore manuum & contractura, ſpaſmis, paralyſi, vomitibus, aliisque affligi, ob hanc ipſam cauſam. Idem experiuntur, qui ſtannum tractant, Zinngieſſer/ ſiquidem vt cuprum argento & auro, ita ſtannum cum plumbo, pro ſeculi more, commiſceri ſolent. De noxa & ſymptomatibus, quæ ſtannarius a vapore plumbi paſſus ſit, vid. *Ephem. German. Dec. I. Ann. III. obſ. 131.*

Idem etiam de *figulis* verum eſt, qui lithargyrio ad vitrificandas ollas, aliaque figulina terrea vaſa, vtuntur. Vid. *Eph. Germ. Dec. III. Ann. IV. p. 79.*

Confirmant ſpeciatim admodum, qui fraudulenter lithargyrii mangonio vino gratiam conciliarunt, caupones, vnde plures perquam male mactati fuerunt, qui & diris ſymptomatibus & morte ipſa luerunt, quod noſtra memoria in Sueuia factum eſt, & capitali pœna dignum iudicatum. De hoc ipſo lectu digniſſimæ ſunt conſignatæ Obſeruationes *Ephem. Germanor. Dec. III. Anno IV. obſ. 30. 92. & 100.* & fuſiſſime a *Salom. Reiſelio Ann. I. c. V. & VI. obſ. 261. p. 601.*

Hæc omnia & alia ſatis probant, cauſam allatam produxiſſe ſymptomata recenſita, vti locis citatis etiam alia plura adducta & notata legi poſſunt. Indeque efficitur, & via humida, & via ſicca per vapores & exhalationes hæc euenire plane conformia.

Agmen

Agmen claudat *Anazarbeus*, qui *l. 6. c. 27.* inter symptomata lithargyrium haustum consequentia memorat stomachi, ventris & intestinorum grauitatem, cum magnis torminibus distendentibus, vrinæ retentionem, tumorem ventris & plumbeam deformitatem. Ipsa vero metalla nihil aliud esse, quam mercurium diuersimode coagulatum, seu fixum, applausu digna est hypothesis. Vid. *Sucbten. Tr. 2. de Antimon. p. 302.*

Vt itaque hæc concludamus, concurrunt in lithargyrio, eiusque hinc validissimo igne prolectis & resolutis particulis, stypticitas eximia, austero, seu acido terreo, concreto debita; vapor mercurialis volatilis inibi latens, cum sulphure terreo complicatis vtrisque. Patet illa volatilitas mercurialis, aliis omnibus metallis contra in furnis docimasticis, minima quantitate, quando ad aurum & argentum refinandum, quod vocant, adhibitum plumbum, drachma vna centenarii nomine veniente, plane aufugit & dispellitur in auras. Hic vero grossiori & largiori mole, vbi repurgatur argentum, veluti eius, vel cupri quoque, spuma, in metallorum fornacibus consurgit.

Si comparare licet metallica hæc cum vegetabilibus, vt ex lignis accensione continuata fumus, & fuligo conflatur, vbi acidum, vrinosum, sulphureum, cum terreis & aqueis, partim in auras abit, partim sublimatione facta in fornacibus adhæret, ita & hic in fundo areæ fornacis lithargyrium relinquitur, & coactum in vsum cedit, in sublime vero abripiuntur particulæ reliquæ laudatæ, vi ignis propulsæ & cum aere, vt diximus, quem condensant vna, tanto magis afficiunt corpora metallurgorum, quanto minus difflantur & disperguntur. Inde vero effectus laudati in via sicca se exerunt in corporibus, quorum spiracula subeunt, replent, afficiunt

ciunt, alterant, quasi nouo hospitio susceptis profugis & exulibus.

Quod vero attinet symptomatum enumeratorum rationem, quæ diagnosticorum simul obtinuere censum, ex essentialiter inhærentibus, consequentibus, causis & analogismo petitorum, hæc iam pensitanda se offerunt.

Lassitudo & grauitas ventriculi, post cibum sumtum, a visciditate & acido pontico copioso hic loci originem habent. Obstructione enim posita, vel in neruum erumpere occipiente, viscida materia ventriculi tunica rugosa obducitur, vnde ἀνέρωσις chyli, vt debet, non procedit, qui postmodum non satis digestus & elaboratus, debitoque tempore non expulsus, vasa lactea ob aciditatem & visciditatem penetrare haud valet, vnde lassitudo & grauitas facillime suboritur. Adeoque, quod *Cous* notauit: lassitudines spontaneas, morbos denunciare, imo & comitari *2. aphor. 5.* idem & hoc casu verum est.

Dolores circa scrobiculum cordis ab acrimonia acida biliosa, ad sinistram ventriculi summe nerueam partem delata, deducendi, vnde facillime eiusmodi vellicatio & tristis sensatio oboriri potest. Quod certe cardialgia seorsim laborantes explicare solent & possunt.

Sicuti vero colica & cardialgia alias symbolici ac affines sunt affectus, ita & coniunguntur non raro, ex communi causa; ventriculus enim & intestina non solum sunt causæ sociæ, sed & hæc illius continuata propago, vt & circa initium, & circa progressum, inprimis centraliter circa vmbilicum, se exerant & accendantur *dolorum colicorum* faces, a quorum potiori ratione etiam merito fit denominatio.

Flatus a calore ventriculi debili, qui h. l. debita chylificatione læsa visitur, originem habent. Glandulæ enim

nim internæ obſtructæ humidum laudabile minus ſuppeditant, hinc nec motus periſtalticus debito modo procedere poteſt. Poſita enim cruditate & acido, illico ſeſe exerunt borborygmi, quod &, leuiſſimo errore in diæta commiſſo, vel ſaniſſimi etiam homines experiuntur, ſi in aſſumtione nimis crudorum tantummodo peccauerint.

Hic vero in tanta turbatione ac conſtipatione & bilis reſtagnans, & ſuccus pancreaticus remorans, aliam induunt qualitatem, elaſticitatem, acrimoniam, fermentationem, adeoque tenſionem & irritationem tantum non ſpaſmodicam, a rarefactione vitioſa ſingulorum, producunt.

Tumor abdominis a flatuum diſtenſione, & renitentia, qui porta clauſa, debito loco & ſtato tempore, non expelluntur, prouenit. Vnde neceſſario expanſio, diſtenſio, & eleuatio abdominis efficitur, accedente continua reſpiratione ac diaphragmatis motu.

Somni defectus in tanta ſymptomatum coaceruatione non poteſt non adeſſe. Cruditas enim acida viſcida, grauitate & vellicatione ſua, dum tenſione fibras extendit, & dilatat, flatus triſtem hunc ſenſum cum cerebro communicant, & perpetuo ſuo motu ſomni acceſſum non permittunt. Exemplum huius rei præbent infantes, qui torminibus tantum vexati, ſumma cum inquietudine ſatis anxie vigilant.

Cephalalgia, obſtructione poſita, facili negotio ſeſe immiſcet. Clauſa enim aluo, aciditas humorum augetur, hinc ſalia acida & acria cum ſanguine & lympha miſcentur, qui, per vaſa maiora vi & preſſione ſanguinis absque dolore mouentur. Si vero per minutiſſima vaſa h. l. cerebri tranſire debent, facili negotio ſtagnant, diſtenſione & vellicatione ſua acutiſſimum & hunc dolorem excitant, donec preſſione adaucta & continuata debitus exitus paretur, ſiue id ex vi-

tio ventriculi & primarum viarum, aut alui obstructione, siue idiopathice ex capite, siue ex alia parte producatur, quæ omnia monumenta varia insignium practicorum edocent. Vid. *Dolæus encycl. med. dogm. Cap. de Cephalalgia.*

Capitis quoque dolor *periodicus* frequens esse consueuit, qui obstructionibus laborant, itemque qui ventriculo debili sunt. In multis vna vel altera hora post cibum assumtum solummodo obseruatur, qui postea remittit, altero tamen die recurrit, quique vnica sæpius pilularum aperientium dosi adhibita omnino tollitur.

Formicationes artuum ab eadem circulationis sanguinis, in poris musculorum, inæqualitate proueniunt, ab obstructione scilicet minutissimorum vasorum, & transpiratione humorum acrium in ambitum corporis delatorum prohibita, vnde necessario partes sensibiliter & quidem dolore satis insigni afficiuntur.

Tussis etiam a solo aere crasso nebuloso & frigido producitur. Et in quantum variis effluuiis peregrinis impraegnatus est, in tantum corpus nostrum ad varia mala disponitur. Hinc facile in aspera arteria & pulmonibus copiosissimæ glandulæ obstruuntur, quo fit, vt constrictio, irritatio & postea tussis excitetur. Neutiquam vero h. l. excludimus ventriculum, vnde tussis stomachica obseruatur, quæ sæpissime in praxi, & quidem falso pro phthisi ab empiricis venditatur. Hæc frequentissime etiam in metallurgis apparet, quod & *Dolæus* præ cæteris in *Encycl. med. dogm. lib. II. de morb. Thor. cap. de Tussi* obseruauit, dum ita inquit: Hisce præmissis triplicem statuimus tussim, humidam nempe, conuulsiuam, siue siccam, & *stomachicam.* Vbi tussis noctu affligit, & simul febricula nocturna adest, denotat tussim pectoralem, non stomachicam. Vbi vero tussis ex ven-

ventriculo, tunc furibunda eſt tuſſis, in qua vix aliquid egeritur, licet ſummo cum conatu tuſſierint ægri. Cauſamque addit; irritatio eſt cauſa immediata tusſis ſtomachalis. Hæc fit a lympha acri vel in ventriculo generata, vel ex glandulis exſtillata. Eiusmodi exemplum vidimus in matrona quadam nobili, ſed vidua, quæ iſtac tusſi valde laborabat, quæ ſæpe per tres vel quatuor horas continue tusſiebat, donec accedente vomitu, pura materia acida aluminoſo ſapore prædita, eiiciebatur.

Sitis non poteſt non concomitari, ob humidi laudabilis defectum, quo accedunt ſalia vitriolica, ventriculi fibras continuo fere titillantia, tusſimque excitantia. Nihil hic dicemus de frequentisſimo ſudore & ignis æſtu, quibus metallurgi noſtri, laboribus ſemper intenti, exponuntur, vbi in ſano quidem ſtatu, dum eo gaudent, humidum laudabile paulatim conſumitur, relicto tandem in maſſa ſanguinea charactere ſalſo; quid non fiat in morboſo, accedente alui obſtructione, vbi certe non parua humidi quantitas, ad partium irrigationem alias deſtinata, a calore interno conſumitur. Calor enim humidum abſumit, & difflat, quod & illi ſatis ſuperque experiuntur, qui ardentisſimis ſolis radiis corpus exponere debent, iuxta illud: ardens dum ſirius vrget agros, exhaurit humidum, crebris ſudoribus. Tacemus concionatores, qui ſola citatiori loquela ſitim ſæpe patiuntur non paruam. Qua ex re & hoc loco maxima viſcerum harmonia & conſenſus elucefcit.

Vomitus comes obſtructionis explicatu non erit difficilis. Bilioſi enim acidi humores, in ventriculo & inteſtinis copioſe hoſpitantes, facile irritatione ſua ſpasmodica & elaſtica motum periſtalticum inuertere poſſunt, ita vt ex culina cloaca fiat; copioſisſime enim in his ſubiectis, ratione qualitatis & quantitatis, acidum auſterum peccat.

Vrina nulla mittebatur, cuius retentio ab obstructione itidem petenda erit; quod si enim humidum in statu sano non abundat, non potest sal acidum & acre, vehiculo deficiente, ad vesicam descendere, calor enim ab obstructione h. l. ortus, humidum depascit. Frequens est illud symptoma metallurgis obstructione laborantibus; reserata vero aluo, breui post vrina naturalem repetit viam atque exitum.

Conuulsiones tonicæ frequentes sunt metallurgis, cum quibus temporaria paralysis quarundam partium sæpissime iungitur, præsertim si alui suppressio adest. Et quo maior hæc est obstructio, eo maiores sunt quoque conuulsiones istæ. Acidum enim in ægrotis nostris, summa cum acrimonia lymphæ, peccans facile cum musculosis & neruosis partibus communicatur, quod qualitate sua tragœdias has oculis subiicit.

Neque mirandum est, contraria sibi visa in eodem subiecto accidere, conuulsiones stabiles & mobiles, vt ita loqui liceat, & conuulsiones, & motus conuulsiuos, ipsamque paralysin, successiue puta, non simul ac semel æque. Et quidem in conuulsione tonica humor & vapor cum acido peregrino, fixo austeroque magis, & quidem continuo irritat, intactis tamen poris cerebralis substantiæ, vnde sensibus integris tensionem illam satis percipiunt.

Varia exempla & obseruationes practicæ, tum Beati Aui, tum Reuerendi Dn. Nostri Parentis, quem Deus multos annos sospitet, itemque nostra studia metallurgis iam fideliter præstita id probare possunt. Vidimus enim ante mensem circiter idem symptoma in metallurgo, cui nomen est Stephan Vhr, qui contumacissima alui obstructione per tredecim dies vexabatur. In quo sane subiecto, a sexto vsque ad decimum tertium diem, omnes ferme conuulsionum species

cies maxima cum admiratione contemplati sumus. Inprimis vero ἐμπροσθότονος illum exercebat, antrorsum quippe incuruabatur, capite ad genua vsque accedente, sed spasmi hi per continuationem medicamentorum aperientium liquidorum ægroto porrectorum, reserata aluo penitus soluebantur. Quod & alii practici in pueris & adultis alui obstructionibus laborantibus obseruarunt. Vid. *Lomm. obseru. p. m. 96.*

Insultus etiam epileptici in tanta copia humorum heterogeneorum facillime excitantur. Qualitate enim sua peccantes, v. gr. acidi, acres, morsicantes acrimoniam suam lymphæ insinuant, vnde pro copia & qualitate elastica, irritando, modo breuiores, modo longiores excitant motus seu insultus epilepticos. Et hi hoc loco inter symptomata merito recensentur, quatenus in hisce personis, aluo debito modo reserata, quiescunt, primæ enim medicis sic dictæ viæ hisce humoribus conspurcatæ & impletæ, symptoma hoc producunt, quod multi doctissimi medici nobiscum obseruarunt. Vid *pathol. med. dogm. Wedelianæ, p. 629.* vbi hæc habentur: sic sæpe acidi humores in ventriculo collecti epilepsiam cient, quod infantibus pariter ac adultioribus sæpissime accidit.

Symptomata excipit CVRATIO, vt iustum ordinem teneamus. Hæc vero ex tribus fontibus, videlicet chirurgico, pharmaceutico & diætetico, iuxta consuetam receptamque methodum, auxilia medica expromit. Mittimus iam lubenti animo aliorum non contemnendorum medicorum præscriptas formulas, modumque curandi, ne dissertatio nostra vltra fas & debitum excrescat. Nobis nunc potissimum curæ est, vt aperte & ingenue fateamur, quam nos medendi insistimus viam, simulque medicamenta com-

memoremus, quibus adhibitis & hic noster ægrotus, & alii complures metallurgorum misere decumbentium, sanitatem amissam recuperarunt. Et hinc sane medicus, præcipue Dogmaticus, si indiuiduorum varietatem intueatur, felicem atque optatum, fortunante Deo, morbi euentum potis est sperare. Verumenimuero istæc curandi ratio, qua vtimur, tam ex nostra, quam B. Aui & reuer. Dn. Patris, sententia, in hisce maxime consistit, vt alui intestinorumque constipationes & obstructiones soluamus, dolores prorsus intolerabiles mitigemus, & viscera roboremus.

Hoc enim facto, causa remouetur, & reliqua symptomata cuncta recedunt, cessantque. Quod si igitur, dum morbus suum capit primordium, de materia saturnina, in ventriculo nouiter collecta, certi sumus, & non aliud contraindicans adsit: (e. gr. hernia, qua ob pondera maiora eleuanda immane quantum cruciantur, accedentibus maioribus vnirotis vehiculis grauissimis; Germ. die grossen Schieb-Karren) aliaque signa vomitum lenem suadent, v. gr. si adsit inclinatio ad vomitum, cum nausea & inappetentia ciborum, si dolor ventriculi obtusus animaduertitur, ad aperientia cum emeticis in minori dosi mixtis commode itur, vnde sæpissime purum lithargyrium eiectum oculis nostris conspeximus. Suasit hinc iamdudum vomitum *Dioscorides l. c.*

℞. *pulu. mechoac. nigr. crem.* ♀*i* a ℈j.
resin. scammon. gr. iij. *tart. emet.* *Mynſ.* gr. ij. M. f. l. a.
Puluis, D. in Charta.

℞. *rad. ipecac.* ʒß. *serpent. Virgin.*
cinnab. nat. a. gr. v.
ol. anis. gtt. j.
M. F. l. a. pulu. D. v. s.

℞. *decoct.*

℞. *decoct. aper. lenientis Nostr.* ℔j. D. in fict.

℞. *spec. pro clyst. vsual.* ℔ß. *mechoac. alb.* ʒij.
fol. senn. elect. fibr. helleb. n. a. ʒiß.
coq. in s. q. ▽ *font.* Colat. ℞. ℔ij.
ol. rapar. lini, chamomil. a. ℥ß.
elect. lenitiu. e suc. ros. ana ʒiij.
vitel. ouor. No. iij. ⊖ *comm.* ℥j. M. F. l. a. Clyster; applicetur dimidia pars, altera seruetur pro vsu.

℞. *spec. pro decoct. pector. pro metallurgis* ℥iij.
prun. dulc. exc. ℥ij. *senn. s. f.* ʒiij.
sem. cumin. ʒij. *lathyrid. minoris* ʒj.
Coq. in s. quant. ▽ com. Col. ℞. ℔iß.
elect. e succ. rosar. sirup. de cichor. cum rhab. a. ℥ß.
mann. in gran. ʒij. ▽ *cinam. s. v.* ʒiß. M. D. in fictili.

℞. *herb. maluæ, althææ, artemis.*
saluiæ, serpil. citr. mercurial.
fl. chamomil. a. m. ij. *sambuc.* m. j.
sem. lini, fœni græci a. ℥iij.
rad. bryoniæ, althææ a. ℥ij. Concis. contus. gr. m.
D. in Charta. S. Species zum Bade/
addito fasciculo vno vel pluribus straminis auenacei, pro insessu, & fotu, inprimis supra vmbilicum.

℞. *vng. dialthææ, pector.* a. ℥ij. *pingu. anser.* ʒij.
ol. chamom. coct. ʒj. *pini* ʒß. *aneth.* ℈j.
anis. fœnic. a. gt. vj.
M. F. l. a. vngu. a balneo calide, & alias illinendum.
Magni quoque vsus est Cataplasma sequens B. Aui.
℞. *herbar. v. emoll.* a. mj.
fl. melilot. chamomil. maluæ arbor.

verbasc. lil. alb. papau. rh. a. pij.
ficuum pinguium no. XV. Coq. in ▽ font. suff. qu. deinde contundantur & cribrentur, postea adde
farin. lini, fœni Græc. a. ℥ij. *rad. alth.* ℥ß.
sem. anis. caru. bacc. laur. a. ℥j. *empl. de melilot.* ℥j.
ol. chamæmeli, lil. alb. laur. ana q. s. F. l. a. molle cataplasma, quod toti ventri imponi debet.

℞. *elect. e succ. ros. cathol. rob rib. purg.* ana ʒj.
sirup. ros. sol. de cichor. c. rhab. ʒij
ol. anis. gt. ij. M.

℞. *suppos. mai.* No. ij. *illin.* ℴ℗ *oliuar.*
D. in Chart. incer.

℞. *elix. asthmatici nostri* ʒij.
ess. absinth. comp. carmin. castor. a. ʒß.
⁓ ϴ *✱ci succin.* ℈ij. *ol. anis.* gt. ij. M.
mane & vesperi ad gtt. L. LX. sumendo.

℞. *decoct. alb. rec. hord. c. CC.* a. ℔j.
▽ *flor. til.* ℥ij.
paralys. fœnic. ceras. nigr. a. ℥j. *cinnam. s. v.* ℥ß.
lap. ♋. ʒj. *conchar. contus.* ʒß.
matr. perlar. ℈ij. *antim. diaphor.* ℈j.
Ⓓ *antimon.* gr. xviij.
sirup. dialthææ, rub. idæi ana ℥j. M. D. in fict.

Seorsim etiam pulueres hi, addita *crystallo* præparata, in forma sicca præscribi possunt, ipsa vero humectantia, vt & emollientia, dulcia, pulposa, oleosa, longe sunt optima.

℞. *MP. mirabil. Stockhusii, de gumm. Conerd.* a. ℈i.
merc. dulc. resin. scammon. a. gr. vi.

ol.

ol. fœnic. gt. ii. M. F. c. elix. propr. l. a. pil. No. XXXXII. D. num. XIII. vefperi.

℞. *pulu. ftomach. Machold.* ʒiij. *gialap.* ʒj.
cryft. ♀*i*, *rhabarbar.* ana ℈j. *elæof. anif.* ʒj.
⊖ *abfinth. card. bened.* ana gr. xviij.
ol. mac.
fœnic. a. gt. j. M. D. in fcat.

℞. *fir. dialth. farfar.* ana ℥iß. *mell. defpum.* ℥j.
ol. amygd. dulc. rec. ʒij. *anif.* gtt. vj.
M. D. cum bacil. glycyrrh. No. j. S. Bruſtſafft.

℞ *effent. pectoral.* N. O. ʒiß.
cardamom.
myrrhæ balfam. zedoar. a. ʒj. *Tℓæ* ♂*ii* ♀*if.* ʒß.
♒ ⊖*is* ✳*c. anif.* ℈ij.
ol. cumin. gt. j. M. S. Bruſt- und Magen-Mixtur.

Hifce medicamentis (non quidem methodo clasfica, fed clinica, pro modulo indicantium, recenfitis,) circumfpecte debitoque loco ac tempore vfurpatis, auxiliante Deo, maximo ifto mortalium Archiatro, metallurgus nofter in historia præcedente oblatus, & multi alii, mutatis mutandis, in integrum reftituti funt.

Morbo curato fedatoque, vti fane chronicus eft, nifi mature fuccurratur, & facile recidiuat, vlterius ad DIÆTAM progredimur, vt decens regimen in victu rerum non naturalium præfcribatur; nam alias fruftra fæpe medicamenta applicantur, fi cibi & alimenta incongrua ingurgitantur. Hic tamen vix licet verbofam metallurgis præfcribere Diætam; folet enim plerumque hifce hominibus res effe angufta domi, ita vt paupertate presfi Diætam bene obferuare

vix queant. Dicemus autem illud, quod instituti ratio exposcit, & ad rem nobis propositam pertinet.

AER itaque facta curatione, quantum fieri potest, serenus ac purus sit, nec saturninis exhalationibus infectus; inprimis eligantur loca quæ ventis patent, & quæ venti perflant.

Inter CIBOS prosunt iuscula temperate calida, aromatibus condita, auenacea, ptisana ipsa cum passulis Corinthiacis, hordei, ex oryza item, & gramine mannæ, gelatinæ omnes. Neque minus olea temperata adhibeantur, v. gr. o℗ amygd. dulc. vel lini recens, item manna Calabrina, pruna dulcia &c. poma Borsdorffiana etiam mane comesta. Quo etiam iuxta effatum B. Aui spectat nostrum lardum, siue crudum, siue coctum, ieiuno ventriculo comestum. Satis quoque cum consilio a pauperibus in ientaculum sumitur butyrum pani illitum, vt & cereuisia Goslariensis calidior, cui frustulum lardi & pugillum seminis carui prius contusi addunt; additumque deglutiunt, quod quidem magnopere commendant, multumque ad præseruationem facere vno ore fatentur.

Ad POTVM vero quod attinet, inprimis cereuisia nostra Goslariensis, ex puro tritico cocta, hic laudem inuenit maximam, quæ sane metallurgis nostris ob copiosissimum nutrimentum, & particulas gelatinosas, singulare vitæ præsidium esse solet.

Præterea MOTVS quoque mediocris plus proderit, quam quies, qui tali affectu morboque metallico laborarunt. Quies enim & vita sedentaria, vt dicitur, obstructiones pariunt, & augent. SOMNVS pari modo sit moderatus, cui tantum temporis tribuendum est, quantum virium refectioni

ni ſufficit. Neque VIGILIIS vltra modum indulgendum, corpus enim eneruant, illique maxime nocent.

Proſpiciendum quoque eſt, vt ALVVS quotidie ſuum faciat officium, ſiue ſponte naturæ, ſiue arte procuretur. Ceterum ANIMI PATHEMATA grauiora omni ſtudio euitentur; vt ira, terror, metus, triſtitia, mœror. Animi enim quies & tranquillitas quantum auxilii præſtet ægrotantibus in curandis morbis, ſatis in propatulo eſt.

Sed ante, quam coronidem imponamus Diſſertationi noſtræ, præ cunctis aliis ſequentia bene monenda eſſe putamus: vt (1.) *opiatorum* vſus in noſtro affectu diligentiſſime vitetur, quocunque etiam nomine venditentur, ſplendidoque tegantur pallio. Et licet in refracta & minima doſi medicamentis miſceantur, nunquam tamen res proſpere ac feliciter in metallurgis hoc pacta ægrotantibus ceſſit, ſiue liquida, ſiue ſolida id forma fiat.

Tum quoque (2.) plane pleneque abominandus eſt ſpiritus ille frumenti, ruſticis noſtris ieiuno inprimis ventriculo alias familiariſſimus, qui merito hiſce ſubiectis ſaturnina tractantibus, & laboribus addictis metallurgicis, ſpiritus mortis audit. Nam ex obſeruationibus B. Aui noſtri, Reu. Dn. Parentis ac noſtris innotuit, quod metallurgus aut metallicida nunquam ſanus aut diu vixerit, qui ſpiritum hunc frequenter in vſum vocauit: ſiquidem metallurgi ab eius potu obſtructionibus vexantur, & metallicidæ aſthmatis periculo exponuntur.

Spiritus enim ieiuno ventriculo hauſtus, quatenus multo phlegmate impregnatus eſt, vappa ſua feculenta grauat, ſulphure vero fermentum ventriculi obtundit, ſpiritus ligat, appetitum tollit, viſceribus, pulmoni, hepati & maſſæ ſanguineæ intemperiem calidam infert, bilem acuit;

lympham imminuit & acriorem reddit, ad phthisin, hydropem, febres, inflammationes disponit, minimum tonum ventriculi destruit, & postea tussim stomachicam siccam immedicabilem relinquere solet, quod quotidiana experientia edocti, silentio præterire nefas esse existimauimus.

SOLI DEO GLORIA!

NOBILISSIMO DOCTISSIMO EXPERIENTISSIMOQVE

VIRO

PHILIPPO WERNERO STOCKHVSIO,

SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, MORE MAIORVM, SVSCIPIENTI,

S. P. D.

IO. MICHAEL HEINECCIVS,

S. S. THEOL. D.

POTENTISS. BORVSSOR. REGI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS, INSPECTOR ECCLESIARVM HALENSIVM ET DIOECESEOS SALANÆ PASTOR PRIMAR. ET GYMNASII SCHOLARCHA.



Vanta solet esse agricolarum voluptas, quum agellos non sine sudore suo cul-

cultos in lætissimam efflorescere segetem animaduertunt, messemque post tot labores prospiciunt vberrimam: tanta animi lætitia ego nunc honorem, quo TE *illustris Salana ornat, adspicio*, NOBILISSIME STOCKHVSI, *eumque* TIBI *non magis, quam mihi, vehementer etiam atque etiam gratulor. Nam recolenti anteactæ vitæ seriem, non ingrata mihi illius temporis subit recordatio, quo* TV *vnaque frater optimus domum meam venire, meaque institutione in politioribus litteris vti solebatis. Quo tempore, quid de ingenio Tuo auguratus sim, quid parenti, quid patriæ de* TE *promiserim, nondum credo plane demeministi. Tam alacriter enim elegantiorum artium studia decurrebas, vt non dubitarem, quin es-*

ſes talis aliquando futurus, qualem ego tum cognitum iudicaueram. Ex eo tempore non me tantum alio vocabat diuini Numinis arbitrium, ſed & TV *ea eras ætate, vt ſtudia illa, quibus a puero eras innutritus, in academiis magis magisque perpolienda viderentur. Diſceſſimus igitur, ego Halam, Tu Ienam, cuius almæ matris ac nutricis meæ nunquam ſine grata tot beneficiorum memoria recordor. Et quamuis procul a* TE *abeſſem, nunquam tamen, quam ſemel de* TE *conceperam, ſpem abieci, nec dubitaui fore, vt patria in* TE *Medicum haberet doctiſſimum. Quod augurium de* TE *meum exitu nunc comprobante vtrique noſtrum gratulor,* TIBI, *cui tribuuntur ea, quæ optimo cuique præclara ſemper viſa*

 ſunt

ſunt; mihi, cui curæ & labor in TE *erudiendo tam feliciter ceſſerunt. Pauci circumacti ſunt anni, quum fama percrebeſceret* VIRVM NOBILISS. IO. FRIDEMANNVM SLEVOGTIVM, IOANNIS HADRIANI *filium in Academia patria Doctoris ornamentis fuiſſe condecoratum. Qui rumor non poterat mihi, qui pueri ſtudiis præfueram, non eſſe multo iucundiſſimus. Nunc TV alter es diſcipulorum meorum, quem ad ſummos iſtos in arte medica honores adſpiraſſe video. At* TIBI *eo magis applaudo, quod lætitiam ex alterius honore perceptam mihi veluti in animum videris reuocare. Macte igitur hac virtute, mi* STOCKHVSI,

HVSI, *macte hoc ad ſtudia impetu, & impoſterum quoque talem TE præſta, vt optimis parentibus ipſique patriæ præſidio ſis pariter ac ornamento. Vale &* DOMVM SLEVOGTIANAM, *quæ mihi multis abhinc annis gratiſſimum præbuit hoſpicium, nec non Præceptores optime de me meritos meo nomine plurimum ſaluta. Halæ Magdeburgicæ Menſe Octobr.* CIↃ IↃCCXII.

Urea Saturni cum ſecla metallicus optat,
Saturnina malum colica triſte premit.
Hæc queis eſt mediis, qua compeſcenda medendi
Arte, Patrisque Tui more fideque doces.
Hinc eris auxilium, cui iuſtos ſoluet honores,
Pro ſaturninis aurea dona dabit.

Ita Præclariſſimo ac Doctiſſimo Domino Doctorando Fautori ſuo honoratiſſimo acclamat

N. Chiliani, M. C.

